871
P5.Ydu

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://archive.org/details/qualisfueritfami00dubi

UNIVERSITY OF
ILLINOIS LIBRARY
AT URBANA-CHAMPAIGN
CLASSICS

QUALIS FUERIT FAMILIA ROMANA

TEMPORE PLAUTI, EX EJUS FABULIS.

Moulins. — Typ. Martial Place.

QUALIS FUERIT FAMILIA ROMANA

TEMPORE PLAUTI, EX EJUS FABULIS,

DISSERUIT L. DUBIEF,

Ad gradum Doctoris promovendus.

MOLINI,

APUD M^L^. PLACE BIBLIOPOLAM.

—

1859.

871
P5.Ydu
Classics
D L C A 28 No '19

PROŒMIUM.

Posteriore parte sexti post conditam Urbem seculi mores romanos a pristina simplicitate descivisse et in deterius iisse plurimis testimoniis constat (1). Devictis enim Philippo et Antiocho et Perseo, eversa præsertim Carthagine quæ tantum ipsis terrorem injecerat, Romani metu soluti barbariem exuere, simul vero majorum severitatem abnuere et artes cultumque Græcorum cæterarumque Orientis gentium magis ac magis amplexari. Unde autem sit exorta pestis illa, quæ celeritate incredibili rempublicam exhausit, et quo pacto familiam corruperit antequam ad civitatem perveniret, multis indiciis apud Plautum reperias.

Ut enim Livius et plerique alii annalium scriptores publicas res protulerunt, Romanosque induxerunt tumultuantes in foro sedentesve in senatu regia majestate vel in præliis fortitudinem approbantes, sic in comœdiis Plauti eosdem deprehendere est exuta toga et galea intra domesticos parie-

(1) Sallustius, *Catilina*, IX et X. — Id., *Fragmenta*, liber primus.

tes, aut in Velabro, aut apud sacrum Cluacinæ Veneris, aut sub Basilica animo suo indulgentes. Hic non viros genere, ingenio et virtutibus præstantes invenias et dignos quorum nomina posteris commendentur, sed homines qualibet natura et conditione, quorum ex mediocritate constat communis uniuscujusque gentis indoles. Hic secretiora rerum publicarum arcana introspicias et privatam corruptelam jam æstimes quæ publicam anteire et secum trahere solet.

Itaque qualis tunc esset familia romana, quæ quidem non modo parentes liberosque sed etiam servos ex jure Quiritium complectebatur, quomodo maritus uteretur uxore, pater liberis, dominus servis, qualis esset in ista hominum societate naturæ minus quam injuriæ innixa dominorum auctoritas et subditorum conditio, denique qui inde mores emanarent duce Plauto perquirere institui.

At enim quæ fides de tam gravi re comico poetæ adhibenda est qui extraneas fabulas in latinum sermonem transtulit? Nonne jure existimare licet eum, si quid depinxerit, Græcos mores magis quam romanos depinxisse?

Nemini dubium quin argumentum fabularum ex Græcis scriptoribus assumpserit : nempe ipse nunc Demophili fabulam, nunc Philemonis, aut aliorum se vertisse profitetur, multis auctoribus longe dissimilis qui fontem ex quo hausere eo accuratius dissimulant quo plura inde traxerunt; sed materiam usurpatam ita pro suo ingenio effinxit et ornavit ut tanquam suam vindicare possit, ita ad cultum habitumque patriæ et ætatis suæ accommodavit ut vere imaginem Romanæ societatis exprimeret.

Quemadmodum enim Terentio qui non multo post floruit, ea fuit præcipua cura ut gentem Patriciam jam versatam in litteris et Græcarum artium amantissimam tum solerti fabularum contextu, tum attica sermonis venustate, tum etiam morum peregrinorum pictura delectaret atque alliceret; sic Plautum, utpote qui non unius ordinis sed totius populi favorem peteret ac plausus, rudi adhuc spectantium turbæ alia ratione placere studuit. Hinc prologis rei nodum et enodationem prænuntiare atque expedire consulto solet; hinc salibus abundat qui sæpius lepidi nonnunquam in scurrilitatem abeunt; hinc quoque quod in promptu est et ad Romanorum instituta moresque pertinet, referre potissimum amat.

Quem quidem, si opera perlegas attentius, rebus Romanis fere unice intentum agnoscas; quibus ita capitur ut a ratione temporum vel locorum in comœdiis sæpe aberret et quid verisimile sit non curare videatur. Inde triumviros Thebis regnante Creonte (1), Ædiles et Prætorem Athenis (2), recuperatores Ephesi (3), aut in urbe Etoliæ portam trigeminam et Velabrum (4), atque Epidauri Capitolium esse fingit. Inde quoque quamvis in prologis argumentum fabulæ græcissare declaraverit, personas inducit vere Romanas quæ suam ipsæ originem produnt, sive Græcorum fidem reprehendunt et corruptelam, et, si quis libidinibus deditus

(1) Amphitryo, v. 3.

(2) Epidicus, v. 24.

(3) Bacchides, v. 235.

(4) Captivi, v. 22 et 423.

est, cum congræcare vel pergræcari dictitant (1), sive Umbros aliosve Romanis infensos injuriis lacessunt (2).

Jam vero poetæ orationem consideranti patebit eam verbis refertam esse quæ ad agriculturam et rem militarem et juris scientiam pertinent, aliave propria Romanorum studia.

Plautus enim nunc amatores ovibus confert quas merctrices tondere gestiant (3), aut mulierculas fingit amantem passerculi, gallinæ, coturnicis, hædilli vel vitelli blando nomine appellantes (4); nunc, quod Romanos usus magis etiam redolet, ad arva vel pascua, fundosque sive privatos, sive a publicanis conductos, seriis vel facetis similitudinibus alludit (5).

Nec minus frequenter recurrunt apud Plautum vocabula ex re militari desumpta. Juvat enim plerasque quas in scenam inducit personas verbis uti quæ militiæ Romanæ instituta et usus referunt. Juvat imprimis nequam quemlibet et verberonem, si cujus nummis insidietur, se tanquam imperatorem jactare et provinciam sibi esse datam fingere et res ordinare, quasi oppidum fallaciis sit expugnaturus, aut hostis occupaturus commeatum. Nam quanto ardore in Bacchidibus et Pseudolo, ne plura exempla afferam, Chrysalus et Pseudolus, ambo servi, ad furtum et mendacium accincti, classicum quasi canunt! quanta ferocia figuras in dicendo

(1) Bacchides, v. 694. — Mostellaria, v. 21. — Asinaria, v. 184.

(2) Miles gloriosus, v. 647.

(3) Bacchides, v. 1072 et seq. — Mercator, v. 515, 516.

(4) Asinaria, v. 645, 646.

(5) Asinaria, v. 521-523, 581. — Amphitryo, v. 906-907. — Truculentus, v. 124-126.

adhibent ad ingenium gentis bellis assuetæ accommodatas (1)!

Verum nihil crebrius in comœdiis Plauti reperias quam quæ ad jus Quiritium pertinent. Nunc de emptione venditione, vel conductione, vel mutuo, vel matrimonio aliisque contractibus (2), nunc de stipulatione et sponsione (3) per quas obligatio plerumque apud Romanos nascebatur aut desinebat poeta mentionem habet. Multa etiam de actionibus et vocatione in jus et sacramento et vadimonio fictisque inter litigantes pugnis (4) aperit. Denique plurima refert obiter de magistratibus romanis judiciisque, sive judex sedet populus in comitiis, sive prætor aut a prætore delegati pro causæ natura et gravitate (5). Atque ita scientia legum romanarum imbutus est ut vocabula ex jure usurpata vel amatoriis colloquiis misceat (6).

Longum est enumerare quidquid apud Plautum vel ad religionem vel ad superstitionem spectat vel ad artem reipublicæ administrandæ (7).

(1) Bacchides, v. 662-664.— Pseudolus, v. 567-578.—Trinumus, v. 447-448. — Asinaria, v. 90-91, 263-267, 533-534. — Mostellaria, v. 1029-1033, et alibi, passim.

(2) Captivi, v. 111-113. — Mostellaria, v. 995-1005.

(3) Menechmi, v. 499. — Curculio, v. 679. — Aulularia, v. 212.

(4) Asinaria, v. 463. — Persa, v. 285-286.

(5) Mercator, v. 727. — Menechmi, v. 492-493.

(6) Curculio, v. 3-6, 170-174.

(7) Captivi, v. 15 et 290. — Casina, prolog., v. 14-15. — Aulularia, v. 136-137, 482, 505, 649. — Mercator, v. 923. — Aulularia, v. 136-137, 175, 182, 505, 649, 738. — Trinumus, v. 441. — Pseudolus, v. 105. — Amphitryo, v. 139. — Asinaria, v. 299. — Persa, v. 32.

Ipsæ quas effinxit poeta personæ Romanorum Catoni æqualium ingenium et usus vere referre solent, ita ut, si quid græcæ indolis habent, illud tantum quod jam ex græcis moribus Romam pervaserat fere retineant. Intueare hos juvenes senesve feros simul et libidinosos qui palam scortum ducunt et, ubi vino et luxuriæ dediti fuere, illud *amare* appellant; hos maritos qui clam conjuge sed tamen in propatulo bacchantur; hos amatores quos sæpius a meretricibus spoliatos rursus iisdem fraudem ferre non pudet, et qui lenonibus struunt insidias, ut falsis testimoniis in judicio oppressos compilent. Intueare hanc turbam servorum et scortorum et lenonum quibus nemo non, licet eos contemnat, familiariter utitur. Sive aliud magis placet spectaculum, hos frugi homines aspice quos Plautus ad imitationem proponit, parcos quidem et temperantes, sed suæ utilitati præcipue intentos, nec fere quidquam recte agentes nisi ut favorem sibi concilient et populares auras captent, ita ut sui quam virtutis amantiores esse videantur; quis personas illas aliasque a poeta prolatas romanam indolem plerumque referre non cognoscat? Quis illarum vitia aut virtutes, etiamsi extraneis vitiis aut virtutibus illita sint, romanæ gentis propria esse non perspiciat?

Quid plura? ita mores civium Plautum depinxisse manifestum est, ut etiam eos corrigere ridendo sæpius studuerit. Quam quidem laudem cum illi detrahere nonnulli tentaverint, quia protervis salibus abundant ejus opera et vitia sui temporis sine fuco ante oculos proponit, res attentius consideranti patebit utilia præcepta sæpius in fabulis ejus dari,

sive avaritiam increpat suorum æqualium, sive corruptelam crescentemque in dies luxum reprehendit. Quod si quis illius doctrinam non satis gravem severamque judicet, hunc reputare decet sublimes sensus ad tragœdiam potius quam ad comœdiam pertinere, quæ peccantes a pravo præsertim propriæ utilitatis studio vel ridiculi metu deterrere solet : Attendere insuper æquum est Plautum moribus suæ ætatis suæque patriæ fuisse innutritum, ut ab omni opinionum pravitate liber esse non possit. Sed non inde fit ut mores corrigendos non curaverit; corrigere eos contra omni ope conatus est, et, quo melius emendaret, nudos in scenam protulit.

Non tamen contendo omnia in comœdiis Plauti ad verum repræsentari, nec quidquam eum verbis exaggeravisse, ut placeret spectantibus. Si vero sales et jocos quibus abundat omiseris et quidquid modum excedit, sinceram rerum imaginem apud illum invenies, et id eo magis quod pro sua ætate et civium suorum ingenio scribebat. Ut enim scriptores, qui inter homines elegantes et fastidiosos vitam agunt, exquisitius dicendi studio sæpe inducuntur ut a rerum veritate abhorreant, sic Plautum, cum rudes adhuc Romanos moneret necdum in artibus litterisque multum versatos, et in quibus consilium et ratio magis quam imaginandi vis prævaleret, res ipsas descripsisse et depinxisse merito existimaveris.

Si quis autem argumenta, quæ ex ipsis Plauti fabulis deduxi, aliis argumentis confirmari velit, animadvertat, rogo, poetæ picturis annales non repugnare, imo consentire.

Austeros magis gravesque Romanos in historia quam apud Plautum solitos esse fateor, sed facile agnoscas in illa de civibus ingenio et ordine egregiis, non de vulgo mentionem fieri. Cæterum satis constat Plauti tempore in Romanos Græcorum mores et artes irrepsisse. Nam longe antea, et Tarento anno CCLXXII expugnato, Magna Græcia in Romanorum ditionem tota cesserat, et jam ab anno CCXLI pars Siciliæ Romanorum erat, Livius Andronicus primus fabulam Romæ docuit anno CCXL (1). Cn. Nævius Livii Andronici æqualis docuit fabulas palliatas, id est Græcorum mores exprimentes. Ennius, anno CCXXXIX natus (2), totus a Græcorum imitatione pendebat. Ut ait Porcius Licinius apud Gellium (3) :

> Pœnico bello secundo Musa pinnato gradu
> Intulit se bellicosam in Romuli gentem.

Illo tempore Græcorum metra apud Romanos ita in usum venerunt ut saturnius numerus sensim obsolesceret (4). Et illa multis nobilibus viris accepta erant. Ennius carus fuit Africano superiori (5) et Fulvio Nobiliori (6). Quin etiam græce Q. Fabius Pictor (7), C. Acilius (8),

(1) Cic., *Brutus*, c. 18.
(2) Id., *ibid.*
(3) *Noctes Atticæ*, 17, 21.
(4) Horat., *Epist.*, II, 1, 157.
(5) Cic., *Pro Archia*, I.
(6) Cic., *Tuscul.*, I, 1.
(7) Dionys. Halic., *Antiq. Rom.*, I, 6.
(8) Cic., *De officiis*, III, 32.

A. Postumius Albinus (1) historias scripserunt. Anno CCXIX primus e medicis venit Romam Archagathus (2). Syracusis anno CCXII expugnatis, signa Romam asportata magnificentiam tum privatam, tum publicam docuerunt (3), et multi ante fixa fictilia Deorum Romanorum ridebant (4). Quin Bacchanalium flagitia sunt anno CLXXXIV coercita (5). M. Porcius Cato graviter græcas artes vexabat (6), quanquam ipse exacta ferme ætate Græca didicit (7). Unde concludere licet Plautum, etiam cum Græcos depingere videtur, reipsa Romanos jam degeneres nec longe illius quam spernebant gentis dissimiles plerumque depinxisse.

Ex his igitur quæ supra institui sequitur, nisi fallor, multa certaque ex comœdiis Plauti ad Romanorum domesticam vitam istorum temporum peti posse : quapropter fretus iis, securior rem mihi propositam aggrediar.

(1) Polyb., 40, 6.
(2) Plinius, 29, 6.
(3) Polyb., IX, 1. — Liv., 34, 4.
(4) Liv., *loc. cit.*
(5) Liv., 39, 8-18.
(6) Plin., 29, 7.
(7) Cic., *Cato maj.*, I.

DE MARITIS ET CONJUGIBUS.

Qualis fuerit apud Romanos Plauti tempore mariti potestas et qualis conjugis conditio intelligi et recte æstimari non potest, nisi rem altius repetamus et perpauca de primæva lege et primævis moribus dicamus.

Mulierum is erat status ex antiquo jure Quiritium ut sub alieno arbitrio totam vitam agerent; quæ patrisfamilias vel agnatorum imperio obnoxiæ, etiam cum nuberent, non libertatem assequebantur, namque ex matrimonio fiebat ut in patris potestate non quidem illæ manerent, sed caderent in manum conjugis : quod quidem verbo durum, re ipsa non minus acerbum erat. Hinc enim cum fortunis suis non solum in ditionem sed in dominium mariti cedebant; quas destitutas suis bonis repudiare pro libidine (1), vel etiam vendere, dummodo quasdam solemnes formulas observaret, vel etiam, habito familiæ consilio, mortis damnare ille poterat (2).

(1) Dionys. Halic., lib. II, 26.— Cic., *Orat.*, 1, 40.—Dig., 24, 2 (Gaius).
(2) Tacit. *Ann.*, XIII, 32. — Gaius, I, § 117-118.

Variis autem modis uxor in manum viri cadebat, sive ipsius matrimonii effectu, sive usu, id est cohabitatione, post matrimonium.

Connubium enim, cum solo contrahentium consensu constaret, diversa tamen secum trahebat, prout secundum ritus quosdam aut sine illis perficeretur. Nonnunquam cum apparatu coram decem testibus vir et uxor jungebantur; adhibebantur placentæ frumento sale et aqua mixtæ : quod quidem matrimonii genus sub nomine confarreationis usurpabant patriciæ familiæ, quarum soboles sacerdotio addiceretur (1). Sæpius etiam conjux marito mancipabatur, id est vendebatur solemni venditione, unde per coemptionem nupta esse dicebatur (2). In utraque ratione, sive per confarreationem, sive per coemptionem, mulieres in dominium viri veniebant. Quæ autem omissa omni juris solemnitate nubebant, iis sub patris vel agnatorum potestate manere licebat, dummodo singulis annis tres noctes extra domum mariti agerent (3). Tunc a patre sustentabantur, cui eas ut divortium facerent cogere licebat et obtingebat ex jure de liberis exhibendis interdictum (4). Si vero sibi concessa facultate non uterentur, per possessionem annalem videbantur usucaptæ et in manum viri cadebant.

Ea erat principio mulieris ex jure conditio, quæ barbariem antiquam ac duritiam Romanam redoleret. Attamen

(1) Gaius, I, § 112.

(2) Idem, I, § 113.

(3) Idem, I, § 410.

(4) Ulpian., VI, 10.

quod in lege asperius graviusque erat moribus privatis mitigabatur. Romani enim agriculturæ dediti et militiæ simplicem vitam agebant et temperantem. Ducentibus uxorem hæc præcipua cura erat, ut procrearent liberos bonosque cives reipublicæ informarent (1). Ut forsan delicata caritate et exquisitis obsequiis, quia erant feri et inculti, uxores non prosequebantur, sic certe tanquam parentes liberorum et penatum custodes respiciebant. Has in convivia secum ducere non dubitabant, has adeo non relegabant in gyneceum ut contra primum locum ædium tenere et in atrio versari paterentur. Quanto humanius a Romanis mulieres primum quam a Græcis haberentur præsertim apud Cornelium Nepotem (2) videas. Cæterum potestate non abutebantur viri. Divortium enim spatio quinque seculorum ne semel quidem factum esse accepimus, quamvis lege permissum esset. Anno DXIII post conditam Urbem nobilis Spurius Carvilius Ruga conjugem repudiavisse primus videtur, professus se ægre, nec alia causa quam quod sterilis esset, ab ea secedere (3).

Ubi vero Romani, priores fines egressi, spoliis hostium divites evasere, et contagione græcarum Italiæ Siciliæque civitatum sunt infecti, mores magis magisque lapsi sunt. Tum, viris in flagitia ruentibus, suum mulieribus servitium gravius visum est, et reipsa erat. Namque in omni re nullis finibus circumscriptæ potestatis vitia nemo, nisi malos domi-

(1) Aul. Gell., IV, 3. — Valer. Maxim., II, 1, n° 4.

(2) Cornel. Nepos, in *Præfatio*.

(3) Aul. Gell., IV, 3.

nos habeat, penitus sentit et intelligit. Tum uxores ad libertatem tendere cœperunt et omni ope eniti ut se suaque bona a libidine et arbitrio virorum tuerentur.

Fuerunt qui assererent imitatione Græcorum eas præcipue inductas esse ut libertatem vindicarent. Hoc dubium videtur; sed, utcunque se res habet, certum est, cum coemptio et confarreatio et matrimonium per usum lege Duodecim tabularum accepta fuissent et consecrata, confarreationem et coemptionem exoluisse paulatim, connubium autem quod liberum dici potest magis in dies esse usitatum (1); quod quidem, ut conjicere licet, non solum mulieribus sed etiam patribusfamilias placebat, quia filias sub potestate sic retinebant. Constat insuper divortii faciendi facultatem, quæ primum maritis solummodo data erat, uxoribus quoque esse concessam (2).

Nec tantum persona mulieris sed bona etiam a dominio viri sensim exciderunt.

Cum enim principio cujuslibet uxoris patrimonium cum fortunis mariti plerumque confunderetur, quia ipsa sub illius manu esse soleret, sæpius in dies factum est ut sua sibi bona quisque haberet. Præmoriente filia patri restitui placuerat quidquid ab ipso matrimonii causa datum esset, adhibita hac mira ratione: « ne et filiæ amissæ et pecuniæ damnum simul sentiret (3). » Præterea stipulare licuit conjugem, etiam

(1) Aul. Gell., XVII, 6.

(2) D. XXV, 2, 3, *De div. et rep.*

(3) D. XXIII, 3, 6. Pomp.

quæ in manu viri esset, sua bona recepturam esse, si repudiaretur; et postea prætor actionem instituit ut illa, vel omissa omni stipulatione, res suas vindicare posset (1). Tum dos, cujus nomen novum erat, percrebuit. Tum etiam uxori vel inter matrimonium partem suæ dotis ad usum suum retinere permissum est, ita ut sæpe viro pecuniam mutuam daret, et, ubi quam querimoniæ causam haberet aut sibi videretur habere, illum in judicium tanquam debitorem vocaret (2).

Ex his multa, etiamsi a jurisconsultis et rerum romanarum scriptoribus non essent relata, ipsius Plauti testimonio comperta haberemus. Cujus si opera perlegeris, agnosces, quo tempore floruit (3), jam obsolevisse confarreationem et coemptionem, prævaluisse contra matrimonium per usum, atque divortii petendi mulieribus concessam esse potestatem et exinde novas nuptias ineundi (4). Agnosces etiam fortunas utriusque conjugis non omnibus tunc confusas, dotem quoque magis ac magis in usum venisse (5), et, si nondum de ea cautum esset, at potuisse a matronis repeti (6); denique fuisse nonnunquam mulieribus bona receptitia quorum dominium plane retinerent, quæ quidem posthac paraphernalia appellata sunt. Ut vero poeta utilia de jure utriusque conju-

(1) Aul. Gell., IV, 3.

(2) Aul. Gell., XVII, 6.

(3) Floruit anno circiter DXXXV (Aul. Gell., XVII, 21). Decessit anno DLXX.

(4) Miles gloriosus, v. 963-964, 1000-1001.

(5) Asinaria, v. 71 et alibi. — Aulularia, v. 124.

(6) Mercator, v. 235. — Amphit., v. 774.

gis nos docet, sic multo pluribus locis declarat vitam quomodo inter se tractaverint, quomodo potestate vir sit usus, quæ fuerit non lege sed moribus uxoris conditio.

Plauti temporibus, si fides ei adhibenda, virorum mores jam longe in pejus ruebant. Nam non solum cœlibes et adolescentuli, sed mariti etiam provecti ætate sæpius licentiorem vitam agebant. In Asinaria, et Casina, et Mercatore, et Bacchidibus maritos vel seniores scortantes induxit et quasi bacchantes, ac, ne quis hoc rarum insuetumque existimaret, Asinariæ his vocibus finem fecit :

> Hic senex, si quid clam uxorem suo animo fecit volup,
> Neque novum neque mirum fecit, nec secus quam alii solent (1).

Quod quidem, etsi per jocum dixit, non minus verum mihi videtur.

Sæpe enim Romani non jam uxorem ducebant, ut vitæ consortem haberent et sibi vel patriæ procrearent liberos. Mulieres quam parvi tunc facerent ex fabulis Plauti facile judices, quas non solum homines pravi, sed etiam honesti sapientesque viri; omni genere injuriarum lacessere finguntur. Nunc scilicet tanquam loquaces et leves et odiosæ illæ carpuntur, nunc tanquam falsiloquæ, falsificæ, falsijuriæ (2).

(1) V. 919-920.

(2) Aulularia, v. 85, 99, 100. — Amphitryo v. 682 et alibi.

Apud Afranium, qui non multo post Plautum fabulas togatas scripsit similia legere est :

> Haud facul, ut ait Pacuvius, femina una invenietur bona.

(V. 7, *Comicorum latinorum præter Plautum et Terentium reliquiæ*, Otto Ribbeck, Lipsiæ, MDCCCLV.)

Dicuntur domi habere hortum et condimenta ad omnes mores maleficos, et aliæ aliis pejores esse et cordiolo quo viri præditi sint, quasi non eadem natura sit, carere (1). Nec quisquam arbitretur poetam, cum talibus eas peteret conviciis, vel Græcos esse imitatum, vel suo ingenio indulsisse et propriam protulisse sententiam ; communem non modo Græcorum, sed Romanorum etiam opinionem referebat. Nemo non scit quam acerbe in feminas Cato natu major invehi solitus sit (2). Idem sentiebat Censor ille Metellus qui fertur hæc verba in senatu fecisse, quæ sententias Græcorum poetarum et præcipue Menandri (3) in memoriam revocant : « Si sine uxore, Quirites, possemus esse, omnes ea molestia careremus; sed quoniam ita natura tradidit ut, nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit, saluti perpetuæ potius quam brevi voluptati consulendum (4). » Quum autem viri auctoritate graves sic de mulieribus in publico locuti sint, æstimari potest quam alienos ab iis vulgus gesserit animos.

Hinc multi a connubio abhorrebant, jamque hoc immodico vitæ cælibis studio Romanos teneri deprehendas quod satyrarum scriptores postea acerbe notaverunt (5), et tanquam malum publicum legislatores coercere omni ope sunt conati.

(1) Miles gloriosus, v. 193-196. — Cistellaria, v. 67, 68. — Curculio, v. 599, 600.

(2) Livius, lib. XXXIV, 6.

(3) Menandri fragmenta, passim.

(4) Aul. Gell., I, 6.

(5) Petron., *Satyr.*, 116.

In Milite glorioso Periplectomenus, quem Plautus laudare propter sapientiam et ad imitationem proponere videtur, quantopere matrimonium respuat his verbis declarat :

> Mihi Deum virtute dicam propter divitias meas
> Licuit uxorem dotatam genere summo ducere,
> Sed nolo mihi oblatratricem in ædeis intromittere.

Objicientique Pleusidi lepidum esse onus procreare liberos respondet :

> Hercle vero liberum esse, id multo est lepidius.

Ac facete ostendit quam jucundum sit a propinquis mulceri qui cælibem, dum bonis ejus inhiant, nutricant certatim et munerant (1).

Non deerant igitur jam illis temporibus qui ista profiterentur. Qui vero uxorem ducebant, non amore quodam vel aliqua probanda causa ad id plerumque impellebantur. Iis præcipua erat cura ut magnam dotem sibi compararent, unde possent vel indulgere libidinibus vel auctoritatem in civitate augere, et cætera ita omittebant, si credendum est Plauto, ut divites feminæ vel male audientes facile nuberent, nec iis ullum, dum dos esset, vitium vitio verteretur (2). Itaque homines vinculi non libenter accepti facile tædebat, frequenterque, ut opinor, conjuges molestas odiosasque habebant, nec a vero poetam penitus secessisse crediderim, cum toties

(1) Miles gloriosus, v. 679-689.

(2) Persa, v. 383-385.

finxerit maritos uxoribus maledicentes, ita ut mortem earum aperte exoptent et quasi efflagitent (1).

Præterea Romani majorum vivendi genus deseruerant (2). Non jam tempus erat quo victis hostibus plurimi agriculturam faciebant (3) et victis hostibus agellum quisque repetebat quem sua ipse manu coleret. Minus pios majoresque quæstus appetebant. Relictis arvis quæ curanda mancipiis sæpe permittebant, argentariam exercebant potissimum et servorum negotiationem aliaque ejus generis quæ moribus prodesse non solent. Jam lucro non minus erant intenti quam Horatii tempore (4), et fenerationem olim severiore quam furtum ipsum pœna mulctatam admittebant (5), ita ut Catonem nautico fenore non abstinuisse sciamus (6). Itaque rem satis strenue augebant, quum censores anno CLXXXIV jussissent ornamenta et vestem muliebrem et vehicula, quæ pluris quam quindecim millium æris essent, in censum referri, item mancipia minora anni viginti quæ post proximum lustrum decem millibus æris aut eo pluris venissent, decies tanto pluris quam quanti essent æstimari (7). Non igitur solum ob fastidium vitæ domesticæ, sed etiam ob vivendi rationem et crescentem luxum in flagitia ferebantur. Utque

(1) Asinaria, v. 5-7, 29, 878. — Casina, v. 128, 218, 246. — Trinumus, v. 20, 29-42.

(2) Sallustius, *Catilina*, IX et X.

(3) Cato, *De re rustica*, I.

(4) Horat., *Ars poetica*, 32, sq.

(5) Cato, *loc. cit.*

(6) Plutarch., in *Catone*, 21.

(7) Liv., 39, 44.

fero et rudi erant adhuc ingenio, deerantque iis hi cœtus in quos viri honestæque mulieres recentiore ævo confabulandi vel se liberaliter oblectandi gratia, conveniunt, et unde mores non fortasse magis casti fiunt at saltem elegantiores, venales immundasque voluptates, Veneri simul Bacchoque dediti, quærebant.

Nam legentibus Plautus nauseam movet, cum illa lustra depingit quæ Orci nomine significanter appellat, « quo nemo advenit, nisi quem spes reliquere omneis esse ut frugi possiet (1). » Quem non pudeat sibi meretrices illas animo fingere quarum idem varia genera descripsit, alias jam omnium flagitiorum peritissimas, alias præmature corruptas et quamdam in ipsa impudicitia ingenuitatem retinentes, omnes vero, ut ait poeta, hominum quasi sorbentes sanguinem (2), hos lenones qui puellas vel pueros prostituebant à teneris sæpius furto sublatos; has lenas quæ non erubescebant corpus filiarum cuilibet tradere pretio et publicare; hos demum argentarios vel feneratores faventes libidinibus cujusque et auxiliantes? Hic, in deformi istorum turba, testimonio Plauti, mixti palam conversabantur quasi in Acheronte omni conditione homines, equites, pedites, libertini, fures ac fugitivi, verberati, vincti, addicti (3). Hic adolescentes pecuniam effundebant a patre surreptam. Hic mariti ipsi sua et conjugis bona, jam provecti ætate, omisso omni pudore, dissipabant (4).

(1) Bacchides, v. 333-336.

(2) *Ibid* , v. 337.

(3) Pœnulus, v. 830-834.

(4) Curculio, v. 480. — Mercator, v. 686, 687.

Variis enim illecebris meretrices Romanos jam deliciis fluentes alliciebant et detinebant. Non enim ex humili loco semper ut in nostra ætate exoriebantur, sed, ad conditionem abjectam belli fortuna plerumque redactæ et avectæ ex Græcia vel ex Ionia, neque cultu ingenii, neque mentis acumine matronis cedebant. Quam sedulo et eleganter corpus curaverint et ornaverint apud Plautum videmus. Præterea in omnibus his artibus excellebant quæ decorem pulchritudini addunt. Placebat earum lasciva venustas, placebat cum iis potandi et quasi bacchandi concessa facultas, placebat ipsa astuta indoles, quæ plus ad capiendos amatores quam optimæ animi dotes aliquando valent. Quales essent meretricum artes in nonnullis comœdiis (1) poeta fuse lateque exposuit, quibus callidissime perficiebant, ut non solum cælibes et adolescentulos, sed etiam maritos senesque spoliarent; cumque essent, ut ait Plautus, muscis per æstatem numerosiores (2), atque ex iis quasi ordo in civitate constaret (3), facile intelligas quam formidandæ fuerint matronis rivales, et quantum rei domesticæ nocuerint.

Verum fieri non poterat ut sic derelictæ et contemptæ uxores maritos multum diligerent. Hinc fortassè nullam fere in fabulis Plauti invenimus quæ cum viro amanter aut loquatur aut agat. Si qua precatur Deos, orat ut salutem dent familiæ, seque nato præbeant propitios, nomen mariti plane omittit (4). Cum viro colloquentes aperire dulciores animi affe-

(1) Asinaria, v. 200-209, 162-172.

(2) Truculentus, v. 45, 46.

(3) Cistellaria, v. 35.

(4) Mercator, v. 672-674.

ctus nunquam fere videas. An dixerit aliquis poetam pro sua indole scripsisse, et, quia durus fuerit, duras depinxisse mulieres? Idem verba ad movendos animos idonea nonnunquam excogitavit, quæ meretricibus attribueret (1). An displicuit Romanis dulces animi affectus, qui ad vitam domesticam pertinent, præsertim in scena ostendi? Hoc non equidem negaverim; at merito suspiceris tales fuisse plerumque matronas quales Plautus effinxit, nec tam incuriose et frigide viros habituras fuisse, nisi ipsæ ab iis dissidere solitæ essent.

Non jam enim injurias sibi illatas æquo animo ferebant. Cum sua jura magis ac magis intelligerent, impune scortari maritos querebantur, et, de sua conditione disserentes, legem et homines his verbis incusabant :

Eccastor lege dura vivunt mulieres,
Multoque iniquiore miseræ quam viri,
Nam si vir scortum duxit clam uxorem suam,
Id si rescivit uxor, impune 'st viro,
Uxor viro si clam domo egressa est foras,
Viro fit causa, exigitur matrimonio.
Utinam lex esset eadem uxori quæ est viro,
Nam uxor contenta est, quæ bona, uno viro (2).

Dotatæ mulieres præsertim vehementer indignabantur; exclamabant ut Dorippa in Mercatore :

Miserior mulier, me nec fiet, nec fuit,
Tali viro quæ nupserim : heu miseræ mihi!

(1) Asinaria, v. 521-524, 570-594. — Apud Afranium legimus :

Nam proba et pudica quod sum consulo et parco mihi,
Quoniam comparatum est, uno ut simus contentæ viro.

(V. 116-117, *Poetarum comicorum præter Plautum et Terentium reliquiæ.* Otto Ribbeck, Lipsiæ, MDCCCLV.)

(2) Mercator, v. 796-803.

Hem, quoi te, et tu quæ habeas, commendes viro!
Hem, quoi decem talenta dotis detuli,
Hæc ut viderem, ut ferrem has contumelias (1).

Vel erumpebant in minas, ut Artemona in Asinaria :

.....faxo ut scias
Quid pericli sit dotatæ uxori convicium facere (2).

Nec satis iis erat queri et minitari. In auxilium sæpe patrem vocabant, petebantque ut sibi matrimonium dirimere liceret.

Non tamen omnes matronæ eadem audere et obtinere poterant. Ut quædam, suis opibus vel familiæ potestate fretæ, scortantes viros terrebant atque etiam male habebant, sic pluribus erat cur metuerent, sive erant in eorum manu, sive propter modicam dotem nuptias non dissolvere erat commodius. Quapropter, ut opinor, in Casina, Myrrhina Cleostratæ suadet his verbis ut flagitia mariti placidius patiatur :

Tace, sis, stulta et mihi ausculta : noli, sis, sic illi
Advorsari, sine amet, sine quod lubet id faciat,
Quando tibi nil domi deliquom 'st.

Additque :

Insipias, semper tu huic verbo vitato
Abs tuo viro..... I foras mulier (3),

Ipsis dotatis uxoribus non semper a marito secedere facile erat. Non enim capere hoc consilium poterant, nisi parens

(1) Mercator, v. 694-699.
(2) Asinaria, v. 874, 875.
(3) Casina, v. 102-107.

annueret. Patres autem, cum sæpius prave viverent, filiarum querelis parum tangebantur, libenterque generis favebant genio indulgentibus, ut ex hoc colloquio intelligere licet, quod est in Menechmis :

PATER. Quoties nuntiavi tibi viro ut morem geras,
Quid ille faciat ne id observes, quo eat, quid rerum gerat.
FILIA. At enim ille hinc amat meretricem ex proximo.
PATER. Sane sapit
Atque ob istanc industriam, etiam faxo, amabit amplius.
FILIA. Atque ibi potat.
PATER. Qua quidem ille causa potabit minus,
Sive illic, sive alibi lubebit. Quæ hæc, malum, impudentia est.
. . . . . .
Quando te auratam et vestitam bene habet, ancillas, penum
Recte præhibet, melius sanam' st, mulier, mentem sumere (1).

Præterea, cum ob quasdam injurias uxori divortium petere ex lege liceret, videlicet si adulterii accusaretur falso (2), vel si in ipsius ædes concubina introduceretur (3), vel fortasse si bona a marito diriperentur ipsi peculiaria (4), non idem illi erat jus, si vir foris plurima scorta habebat. Inde fiebat ut sæpe perfidiam virorum uxores perpeti cogerentur, nec aliud solatium iis superesset nisi ut querulas morosasque et difficiles sese præberent : quod quidem malo nequaquam medebatur; namque quo molestiores erant, eo magis intolerabiles et fugiendæ videbantur.

(1) Menechmi, v. 701 et sq.
(2) Amphitryo, v. 747.
(3) Mercator, v. 776-778. — Rudens, v. 952, 953.
(4) Menechmi, v. 645-653.

Sive autem divortio solvebatur matrimonium, sive intestinis turbabatur discordiis, gravi morbo domus laborabat. Cumque spretæ vel male mulctatæ a viris matronæ id indecorum et iniquum intelligerent, non mirum est tum variis causis, tum malesuada ulciscendi cupidine easdem ad deteriora esse impulsas.

Attamen tempore Plauti mores antiquos nondum plane exuerant. Constat ex poetæ fabulis eas adhuc fidem conjugii servare solitas. Cum enim illorum temporum corruptos mores prodiderit, vitiaque detexerit naturæ maxime repugnantia, cum insuper matronis infensus videatur, easque maledictis lacessere quasi gestiat, ne unam quidem in ulla comœdia induxit impudicam. Unde concludere licet nuptarum adulteria nondum fuisse usu recepta. Namque, ubi percrebuerunt, ea in scenam fuisse prolata, plaudentibus Romanis, testatur Ovidius (1).

Cur pudicitiam diutius matronæ servaverint, nec communis corruptelæ æstu jam primum sint abreptæ, facile intelligas.

Principio nempe vitam, si non in gyneceo, at in secreto agebant, congressusque hominum intus et præsertim foris vitabant. Domo nonnisi comitibus stipatæ et velo obtectæ egrediebantur, ita ut nonnulli uxorem ideo repudiaverint quod aperto capite exisset foras aut clam spectaculo interfuisset (2). Quod vivendi genus per plura sæcula prorogatum est. Accepimus enim quanta indignatione Cato mulieres objurgaverit quod in foro primum sese exhibuissent, seque

(1) *Tristium* lib. II, v. 497, 514.

(2) Valer. Maxim., lib. VI, cap. 3, 11.

miscuissent turbæ, ut legis Oppiæ abrogationem obtinerent. Inde sequebatur ut matronæ essent amatoribus quasi inaccessæ, iisque stupri admittendi fere deesset occasio.

Præterea ut illas ab officio deterrere difficile, sic et periculosum erat. Quo magis maritorum potestati erant obnoxiæ, eo nuptas impetere gravius videbatur. Ex comœdia Bacchidum intelligere est, si quis uxorem in stupro deprehenderet, ei illam delictique socium necare licuisse (1). Atque ut amatori aliquando maritum constituto pretio placare et cum eo transigere licebat, sic non ea semper concessa erat facultas, legimusque tum apud Plautum, tum apud alios scriptores quam et ridiculum et atrox supplicium adulteri nonnunquam subirent, qui in insidias furentis mariti delaberentur (2). Quapropter Romani, cum alioquin exquisitas voluptates parvi facerint, tutam meretricum lasciviam quam periculosum nuptarum amorem facile malebant.

Sed, quamvis tempore Plauti adulterium in mores nondum pervasisset, nec in ea flagitia matronæ decidissent in quæ postea sese ingurgitaverunt, eas a pristina verecundia descivisse et ad pejora tendere multis indiciis agnoscas.

Jam enim eas secretam vitam fastidire, penatesque relinquere ut in publicum procedant, et luxus ardenti cupidine rapi manifestum est. Jam fundis exornatæ, ut ait Plautus, hinc illinc apparent (3); gestiunt videre et videri, et nimiam

(1) Bacchides, v. 810-811.

(2) Miles gloriosus, v. 1386, 1418. Vide insuper Catulum, XV, v. 16. — Horat., *Satyr.* lib. I, 2, v. 41. — Valer. Maxim., lib. VI, cap. 1, § 13.

(3) Epidicus, v. 208.

hanc elegantiam affectant quæ aliis potius quam maritis placendi studium prænuntiat et in deterius mulieres ducere solet. Jam vehiculis gaudent et sumptuosis vestibus et hoc omni apparatu qui rem familiæ exhauriat (1).

Immodicum igitur luxus studium matronas ipsas invaserat, multaque inde oriebantur pericula, quorum partem Cato jam præsagiebat, cum de viris qui uxorum sumptibus vexabantur diceret : « Miserum qui exoratus et qui non exoratus erit, cum quod ipse non dederit datum ab alio videbit (2)! » Sic exuta majorum simplicitate et verecundia, cum meretrices in clientela habere superbirent, iisque familiariter uterentur, quomodo in istarum commercio nativum pudorem celerius non amisissent? Neque caritate in maritos, aut severa morum disciplina, aut religione a malis artibus deterrebantur. Quid multa? ipsa divortii obtinendi facultas, oblata spe novarum nuptiarum, matronas ad deteriora incitabat.

Itaque, his indiciis graviter commovebantur qui rem publicam cordi habebant, et malo in dies crescenti solis, quæ tunc nota essent, remediis obsistere tentaverunt.

Quum autem multi mulierum luxum coercere et libertatem imminuere conati sint, nemo pertinacius quam Cato id consilium persecutus est. Primum enim legem Oppiam ardentius sustinuit, qua in tumultu secundi belli punici interdictum erat ne ornatis ultra præscriptum modum vestibus curri-

(1) Aulularia, v. 461-486.

(2) Livius, lib. XXXIV, cap. 4.

(3) Cistellaria, v. 24-40.

busque illæ uterentur, atque ut ea retineretur frustra apud populum orationem habuit. Postea felicius pro lege Voconia verba fecit quæ, cum mulieres ab hæreditatibus excluderet, eo præcipue tendebat ut virorum debilitatam reficeret potestatem, matronasque ferociores in pristinam conditionem restitueret. Cæterum quam acriter mulierum impotentiam et levitatem agitaverit, quanta vi ut jus majestatemque sexus reciperent sit hortatus, apud Livium præsertim videmus (1).

Ut Cato, sic Plautus qui fuit illi æqualis, crescenti luxui adversatus est. Sæpe elegantiam vitio vertit; hanc dicit, quem adtigerit, magno atque solido multare infortunio, nec profecto quemquam sine grandi malo præquam res pateretur studuisse elegantiæ (2). Catoniana etiam acrimonia infensum mulieribus sese præbuit et præcipue dotatas uxores insectatus est. Ut in pluribus comœdiis, in Asinaria et Aulularia divites matronas tanquam odiosas depingere non desinit et quam tristis sit maritorum conditio ostentat.

In Asinaria servus Libanus Demenætum sic corripit :

> Dotalem servum samium uxor tua
> Adduxit quoi plus in manu sit quam tibi.

Et ille miserabiliter respondet :

> Argentum adcepi, dote imperium vendidi (3).

(1) Tit. Liv., lib. XXXIV, cap. 1, 8. — Valer. Maxim., lib. IX, cap. 1, § 3.

(2) Mercator, v. 19-23.

(3) Asinaria, v. 70-72.

In Aulularia Megadorus, quem virum bonæ frugi esse finxit poeta, hæc ait :

Istas magnas factiones, animos, doteis dapsileis,
Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram
Nil moror quæ in servitutem sumptibus redigunt viros (1)

Additque infra :

Non meo quidem animo si idem faciant cæteri
Opulentiores pauperiorum filias
Ut indotatas ducant uxores domum,
Et multo fiat civitas concordior,
Et illæ malam rem metuant quam metuunt magis
Et nos minore sumptu simus quam sumus.

At Cato et Plautus, cum hic apud populum aut in senatu, ille in scena, antiqua laudarent, et dotatas uxores tanquam pestem publicam corriperent, quidquam efficere neque poterant neque debebant. Tempus enim præteritum jactare facilius quam instaurare et libertatem, ubi in medium processit, decet dirigere, abolere non jam licet. Is enim rerum status erat ut crescentia in dies vitia nemo ullo modo coercere jam valeret ; quæ nonnisi gravibus efficacibusque doctrinis (quæ quidem deerant) erant reprimenda. Qui vero malum per leges imminuere tentabant, eos decebat justa et æqua instituere. Plurimi, ut opinor, ne plura exquiram, interfuit repudiandi jus eripi maritis, imo utrique sexui jam concessam divortii faciendi facultatem pariter auferri. Cæterum hæc servitus mulierum, quam nonnulli desiderabant et restituere omni ope conabantur, ut injusta, sic inefficax

(1) Aulularia, v. 124-126. — Vide insuper Epidicum, Mostellariam.

imo periculosum moribus ipsis remedium afferebat. Natura enim ita comparatum est ut viri, prolata ultra modum potestate, ad fidem conjugii contemnendam impellantur; mulieres autem, oppressa et obruta indole, præparentur ad licentiam et inermes ocius serius, ubi libertatem fuerint adeptæ, vitiis quasi tradantur.

DE PARENTIBUS ET LIBERIS.

Familiæ romanæ fundamentum erat paterna potestas, quæ omnes ejus partes penes unum arctius cogebat et retinebat; ad rempublicam ipsam eo magis interesse videbatur quod magistratus locum sæpe obtinebat, multaque coercebat quæ publicæ potestatis esse solent. Itaque nusquam eam latius quam apud Romanos patuisse videmus. Atque Gaius præstantissimus jurisconsultus superbe dicit nullos alios esse homines, qui talem in liberos suos potestatem qualem Romani habeant (1).

Jure Duodecim tabularum, quæ plura prius in usum recepta retinuerunt et confirmaverunt, illa nullo fere termino continebatur. Nam suorum pater judex supremus habebatur, adeo ut iis vel vitam adimere posset. Præterea filios ter vendere semelque filias vel nepotes illi licebat. Liberorum igitur, imo natorum ex iis plane dominus erat. Hinc eorum bona in suis bonis habebat : quod acquirebant hoc

(1) Gaius, *Instit.*, I, 55.

acquirebant ei, et tanquam peculium ut servi possidebant, cujus adimendi pro suo arbitrio patri jus erat. Cæterum non ut apud Græcos sine patris jussu liberi emancipabantur, sive propter ætatem, sive propter matrimonium, sive quia numero civium adscribebantur ; qui in dominio parentis, quandiu illi libebat, manebant. Quin etiam mortui patris voluntas prævalebat : licebat enim extraneos hæredes instituere et suam sobolem omni hæreditate excludere : quam, ut exhæredaretur, satis erat in testamento omisisse.

Id erat jus antiquum, in quo diutius nihil immutatum, quod ad potestatem patris in personas pertineret. Jam autem a sexto post conditam Urbem seculo, quum nonnullis legibus, Cincia scilicet et Furia et Voconia, tum jure prætorio cautum est, ne pater, sive per donationem sive per testamentum, liberos hæreditate plane excluderet; verum potestatem in eos integram retinebat. Nam Sallustius refert Fulvium, filium senatoris, judicio patris interfectum esse, ut Catilinæ conscium (1). Filiam Atilii Philisci, quod stupri se crimine inquinavisset, a patre impune esse interemptam, apud Valerium Maximum legimus (2). Denique, ut liberorum venditio vix in usu fuisse videtur, sic eos a parentibus interdum ex lege usque ad tempus Augusti esse necatos Seneca auctor est (3).

Qua autem ætate vixit Plautus, cum nondum esset imminuta potestas patrum in personas, quomodo ea illi uterentur

(1) Sallustius, *Catil.*, XXXIX.

(2) Valer. Max., VI, 1, § 7.

(3) Senec., *De clementia*, I, 14, 15.

et quid inde eveniret, ex scriptis poetæ repetere operæ pretium est.

Cujus quidem in fabulis non patres filium vel filiam mortis damnant, quod comœdiæ non est, sed quam frequenter liberos suos rejicerent a teneris et ad mortem vel ad servitutem exponerent agnoscas. Ubi enim natus erat infans, non sublatus, a patre vel a matre pro derelicto habebatur, atque exponebatur nonnunquam cum crepundiis, quibus postea, si vellent, parentes possent eum discernere. Non autem raro ut nunc, et a pravissimis tantum mulierculis, id sceleris admittebatur. In Cistellaria scilicet Phanostrates quædam narratur filiam servo ultro dedisse exponendam, et posthac cum viro nupsisse ex quo peperisset, idque profertur tanquam usitatum et quod spectatores neque mirari neque indignari debeant (1). Crebriorem etiam fuisse apud Romanos abortionem facile intelligas; nam in Truculento, roganti Dinarcho cur meretrix Phronesium se prægnantem esse dissimularet, respondet Astaphia ancilla :

> Celabat, metuebatque te illa ne sibi persuaderes
> Ut abortioni operam daret, puerumque ut enecaret (2).

Adeo duri erant illorum hominum animi, et a culpa remotum videbatur quod pro scelere detestabili nunc habemus.

Quanquam rarissime, ut opinor, pater suos liberos ven-

(1) Cistellaria, v. 168.

(2) Truculentus, v. 175-176. — Apud Afranium, qui non multo post Plautum togatas fabulas scripsit, de abortione mentio est. In Vopisco, v. 347-348 (*Comicorum latinorum reliquiæ*, Otto Ribbeck, Lipsiæ, MDCCCLV).

debat, hanc facultatem neque ab illo fuisse plane repudiatam, neque illi fuisse negatam, ex colloquio inter Saturionem et filiam in Persa apparet.

Dicenti virgini :

..... Amabo, mi pater,
Quanquam lubenter escis alienis studes,
Tuin' ventris causa filiam vendis tuam?

respondet Saturio :

Mirum, quin regis Philippi causa aut Attali
Te potius vendam, quam mea, quæ sis mea (1).

Progeniem in bonis esse arbitrabatur omnis pater, qua uti et abuti posset. Inde in Truculento Dinarchum non pudet filium dare mutuum meretrici, cujus se dicat illa matrem, ut puero supposito militem decipiat (2). Inde quoque in Trinumo Lysiteli filiam plane insciam Charmides despondere non dubitat, atque de illa tanquam de re sua omnino statuit (3).

Præterea ex operibus ejusdem poetæ nonnunquam patet, quam impotenter parentes auctoritatem, quam a natura et lege habebant, exercerent. Nescio quid herile in parentum imperio, nescio quid servile in obedientia liberorum, sæpe apparet. In mutuo illorum amore nihil mite, nihil liberum. Pater se dominum esse non oblivisci videtur. Liberi autem quos Plautus in scenam induxit, Lysitele excepto qui, dum patri, ut ait, servitutem servit, honestam tamen ingenii retinet

(1) Persa, v. 334-337.

(2) Truculentus, v. 821-827.

(3) Trinumus, 1110-1112.

libertatem (1), metuere magis parentes quam amare solent. Hinc quidquid fuit jussum serviliter exsequuntur. His supra paternam potestatem nullam legem esse facile agnoscas, neque humanam qua protegantur contra eam, neque divinam qua an obediendum sit necne doceantur.

Revocemus in nostram memoriam hanc scenam Asinariæ in qua Demænetus cum filio venales meretricis Philenii dividit, et mirum illud colloquium quod inter illos poeta esse finxit :

DEMÆNETUS. Numquid nam tibi molestum 'st, gnate mi, si hæc nunc mecum adcubat?

ARGYRIPPUS. Pietas, pater, oculis dolorem prohibet : quamquam ego istanc amo,
Potsum equidem inducere animum, ne ægre patiar quia tecum adcubat.

DEMÆN. Decet verecundum esse adulescentem, Argyrippe.

ARGYR. Edepol, pater,
Merito tuo facere potsum.

DEMÆN. Age ergo, hoc agitemus convivium
Vino et sermone suavi : nolo ego metui, amari mavolo,
Mi gnate, me abs te.

ARGYR. Pol, ego utrumque facio, ut æquom 'st filium.

DEMÆN. Credam istuc, si esse te hilarum videro.

ARGYR. An tu esse me tristem putas?

DEMÆN. Putem ego? quem videam æque esse mœstum, ut quasi dies si dicta sit.

ARGYR. Ne dixis istuc.

DEMÆN. Ne sic fueris, inlico ego non dixero.

ARGYR. Hem! adspecta; rideo.

DEMÆN. Utinam, male qui mihi volunt, sic rideant!

ARGYR. Scio equidem quamobrem me, pater, tu tristem credas nunc tibi;
Quia istæc est tecum : atque ego quidem, hercle, ut verum tibi dicam, pater,

(1) Trinumus, v. 258-261.

Ea res male habet : ac non eo, quin tibi non cupiam, quæ velis,
Verum istam amo : aliam tecum esse equidem facile potsim perpeti.

DEMÆN. At ego hanc volo.

ARGYR. Ergo sunt quæ exoptas : mihi, quæ ego exoptem, volo.

DEMÆN. Unum hunc diem perpetere, quoniam tibi potestatem dedi,
Cum hac annum ut esses, atque amanti argenti feci copiam.

ARGYR. Hem istoc me facto tibi devinxti.

DEMÆN. Quin te ergo hilarum das mihi (1)?

Quis talia legens non pietatem Argyrippi et rideat et fastidiat? fuere qui Molerio nostro Cleontis procacitatem in Harpagonem patrem eumdemque rivalem exprobraverint, malo equidem, confiteor, Cleontis indecoram petulantiam quam Argyrippi deforme obsequium.

Quin in comœdiis Plauti liberi inducuntur, parentibus injusta vel turpia jubentibus obedire assueti. Nam in Persa parasitus Saturio filiam jubet fallaciæ in quemdam lenonem structæ esse participem et tanquam servam se vendi sinere. Illa primum repugnat, respondet se dedecus inde susceptu-ram, rogatque utrum pater se pro ancilla habeat an filia. At ille :

Utrum hercle magis in ventris rem videbitur,
Meum, opinor, imperium in te non in me tibi 'st (2).

Additque infra :

Virgo atque mulier nulla erit quin sit mala,
Quæ præter sapiet quam placet parentibus (3).

(1) Asinaria, v. 809-827.
(2) Persa, v. 339-340.
(3) Ibid., v. 362-363.

Denique virgo, licet honesta, obsequitur non argumentis sed vi patris victa, dolisque improbis invita sese miscet.

Pariter in Asinaria Philenium precatur lenam matrem ut sibi amare unum Argyrippum liceat, animi causa quem vult, dulcibusque utitur verbis, ut ejus avaritiam flectat; verum instante matre ut solos amatores qui dent amet et pauperes excludat, illa sui officii esse putat non diutius reluctari, hisque verbis colloquio finem facit :

Audientem dicto, mater, produxisti filiam (1).

Ex his exemplis intelligitur, non modo quanta fuerit apud Romanos patris potestas, sed etiam quanto obsequio liberi paruerint. Obediebant patri vitiis perdito aut matri lenæ, atque vel mala jubentibus obtemperabant. Quibus quidem ut reverentiam pene servilem exhibere videbantur, sic eos sæpe, si fides Plauto adhibenda est, clam despiciebant et ridebant. Aspice enim quam frequenter in ejus comœdiis iis struant insidias ut nummos extorqueant quos impendant libidinibus. Audi etiam quam indecenter de patre aut de matre absente loquantur.

In Pseudolo, Calidorus servo dicenti : « Si neminem alium potero tuum tangam patrem, » respondet :

Dî te mihi omneis servent, verum si potes,
Pietatis causa, vel etiam matrem quoque (2).

In Mostellaria Philolaches ait se libentius patrem esse venditurum quam amicam egere passurum, additque :

(1) Asinaria, v. 486-526.

(2) Pseudolus, v. 118-120.

Utinam meus nunc mortuus pater ad me nuncietur,
Ut ego exhæredem meis bonis me faciam atque hæc sit hæres (1).

Hi sunt, non equidem diffiteor, joci, sed qui, cum in scena palam proferrentur nec, ut videtur, spectatores offenderent, ad cognoscendos filiorum erga parentes sensus fortasse non nihil conferunt.

Nec sine errore existimaveris patresfamilias tanta sua potestate ad bonas artes et quo meliores liberos suos facerent uti solitos. Sæpius enim, ut abutebantur immodico jure, sic etiam non satis utebantur.

In dialogo *De oratoribus* (2), Cornelius Tacitus severitatem ac disciplinam non modo patrum, sed matrum quoque, quandiu respublica romana superfuit, circa educandos formandosque liberos laudavit; sed animadvertendum est de parentibus ortu et ordine egregiis, non de vulgo esse locutum. Præterea suspicari licet eumdem principatus odio et prisci rerum status desiderio inductum esse, ut majores plus æquo jactaret. Ego vero institutionem liberorum, ut bonam austeramque fuisse principio, sic negligi cœpisse existimo, statim ut mores labi cœperunt; quos quidem jam secundo ante Jesum Christum seculo in deterius iisse, plurimis indiciis apparet.

Et enim, teste Plauto, jam hoc tempore educationem liberorum Romani non ipsi curabant, eosque, ubi septimum annum attigerant, servi regendos suscipiebant, quos in ludum

(1) Mostellaria, v. 233-234.
(2) XXVIII, XXIX.

ducerent litterarium (1). Quæ autem poterat esse, quæso, in pueros servorum auctoritas? Nemo non scit quam eos regere difficile sit vel libero præceptori, et quam sæpe tum patris, tum matris nimia indulgentia, tum aliis causis impedita educatio in pejus abeat. At quanto deteriore conditione discipulum is instituebat, cui, cum omnibus injuriis esset obnoxius, objurganti adolescentulus respondere poterat, ut Pistoclerus in Bacchidibus : « Tibi ego aut tu mihi servos es (2)? »

Præterea præceptori parentes non in auxilium veniebant, imo sæpius adversabantur, ut in comœdia Bacchidum videmus quæ, licet moribus Græcis illita, id quod apud Romanos tunc agebatur sane innuit.

In hac fabula pædagogus Lydus refert fuisse olim auream ætatem qua pueri multo melius severiusque educarentur; nemini enim ante vicesimum annum licuisse sine pædagogo pedem ecferre ædibus; ante solem exorientem ni in palæstram venisset, puerum gymnasii præfecto haud mediocres pendere pœnas et magistrum discipulumque pariter perhiberi improbos; ibi luctando, hasta, disco, pugilatu, pila, saliendo puerum sese exercere, inde ubi ex hippodromo et palæstra rediisset domum, cincticula præcinctum in sella adsidere; quod si, cum librum legeret, unam peccavisset syllabam, futurum esse ut fieret corium tam maculosum quam sit nutricis pallium.

Verum res valde mutatas, nec tunc discipulos sed contra

(1) Mercator, 287, 298.

(2) Bacchides, v. 128.

magistros vapulare assuetos esse idem Lydus his verbis queritur :

Olim populi prius honorem cupiebat subfragio
Quam magistro desinebat esse dicto obediens.
At nunc, priusquam septuenni 'st, si adtigas eum manu,
Extemplo puer pædagogo tabula disrumpit caput.
Quom patrem adeas postulatum, puero sic dicit pater :
Noster isto, dum te poteris defensare injuria.
Provocatur pædagogus : eho senex minumi preti,
Ne adtigas puerum istac causa, quando fecit strenue.
It magister, quasi lucerna, uncto expletus linteo.
Itur illinc jure dicto. Hoccine heic pacto potest
Inhibere imperium magister, si ipsius primus vapulet (1).

Ergo parentum plerorumque in instituendis liberis non aliam fere fuisse operam merito existimaveris, nisi ut pædagogi minuerent auctoritatem. An saltem adolescentiam adeptos magis curabant, ut eos a cupidinibus, quæ huic ætati insidiantur, defenderent?

In Mercatore Charinus narrat patri, postquam ex ephebis excesserit, neque amori neque desidiæ vacandi facultatem fuisse concessam : hunc nempe immundo agrorum opere exerceri parenti placuisse, nec nisi quinto quoque anno invisere urbem, atque extemplo inde, ut spectavisset peplum, rus rursum confestim exigi solitum, ubi primus familiarium laboraret. Huic parens dicebat : « Tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis ; tibi denique iste pariet lætitiam labos (2). »

(1) Bacchides, v. 403-413.
(2) Mercator, v. 61-72.

Sed multum aberat ut tempore Plauti tam arcte haberentur adolescentes.

Plerumque enim, etiam post pubertatem custodiendi servis tradebantur qui aut eos corrumpebant, ut in pluribus comœdiis videmus, aut compescendæ petulantiæ impares a discipulis ridebantur atque etiam male mulctabantur (1). Ipsi autem patres tum mala præcepta, tum mala exempla dabant. Luxuriæ enim dediti, non poterant in filios scortantes severitatem adhibere et, sive præteritis, sive præsentibus flagitiis, ad nimiam indulgentiam flectebantur. Prudenter Callipho quidam in Pseudolo dicit probum esse patrem oportere qui natum suum esse probiorem quam ipse fuerit postulet (2). Itaque parentibus quos Plautus in scenam induxit sæpe placet filios genio suo indulgere, et eorum libidinibus favere non dubitant.

In Asinaria videlicet Demænetus ait :

Omneis parenteis, Libane, liberis suis,
Qui mihi auscultabunt facient obsequelam ;
Quippe qui mage animo utantur gnato et benevolo.
Atque ego me id facere studeo ; volo amari a meis,
Volo me patris mei similem qui causa mea
Nauclerio ipse ornatu per fallaciam
Quam amabam abduxit ab lenone mulierem,
Neque puduit eum id ætatis sycophantias
Struere et beneficiis me emere gnatum suis.
Eos me decretum est persequi mores patris.
Nam me hodie oravit Argyrippus filius

(1) Præter Bacchides, vide Curcul., v. 179 ; Mercat., v. 89-91.

(2) Pseudolus, v. 425-426.

Ut sibi amanti facerem argenti copiam,
Et id ego percupio obsequi gnato meo,
Volo amori obsecutum illius, volo amet me patrem (1).

Imo nonnunquam apud Plautum patres reperias quos juvat corrumpere filios, eorumque flagitiis misceri. In Asinaria, ut supra vidimus, Demænetus scortum filii, filio præsente, osculatur et luxuriam, cui favet, quasi vectigalem sibi facit. Præterea in comœdia Bacchidum duos senes non pudet blanditiis meretricum cedere et coram filiis bacchari; atque non rara esse ejus modi exempla poeta his verbis spectatores admonet :

Hi senes, nisi fuissent nihili jam ab adulescentia,
Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus,
Neque adeo hæc faceremus, ni antehac vidissemus fieri
Ut apud lenones rivalcis filiis fierent patres (2).

Cæterum solutæ jam tunc vel imperfectæ erant apud Romanos de moribus doctrinæ. Puellas quidem castitatem retinere antiquissimum habebant, easque sedulo curabant ut integræ manerent. Apæcides, in Epidico, dicit neminem nimis posse pudicitiam suæ servare filiæ (3), videmusque etiam in eadem comœdia parentem diligentissime cavere, ne filia meretricis commercio corrumpatur. Sed de adolescentium

(1) Asinaria, v. 50-62. Apud Afranium legere est :

Hem isto parentum est vita vilis liberis
Ubi malunt metui quam vereri se ab suis.

(V. 33, 34, *Comicorum latinorum reliquiæ*, Otto Ribbeck, Lipsiæ, MDCCCLV.)

(2) Bacchides, v. 1169-1172.

(3) Stichus, v. 383-384.

vitæ ratione haud ita severe sentiebant, remissioresque in eorum flagitia gerebant animos.

Religio autem adeo non luxuriæ obstabat, ut ipsa eam quasi comprobaret. Quemadmodum enim pudor, sic et Venus colenda videbatur, Venerisque potentiam ineluctabilem veteres existimabant (1). Nec magis philosophia quam religio ad comprimendas cupidines valebat, quum a plerisque Romanis aut ignota esset, aut contempta. Vulgo receptum erat adolescentibus licere suo genio indulgere et scortari, dum modum non excederent.

Hinc in Curculione Palinurus Phædromo apertius dicit :

Nemo heic prohibet nec vetat
Quin quod palam 'st venale, si argentum 'st, emas.
Nemo ire quemquam publica prohibet via,
Dum ne per fundum septum facias semitam,
Dum tete abstineas nubta, vidua virgine
Juventute et pueris liberis, ama quod lubet (2).

Id profitebantur et Plautus et optimi viri sibi æquales; quod quidem Romanos omni tempore vel gravissimos professos esse Tullius, Liviusque sunt auctores (3).

Una igitur erat adolescentibus lex vivendi, ne ingenuis dedecus inferrent. Cum servis utriusque sexus bacchari fas erat, dum modum servarent, id est rem suam non dissiparent. Ex his intelligitur quam lata fuerit quæ publica dice-

(1) Persa, v. 26, 27. — Bacchides, v. 80-90.
(2) Curculio, v. 33-38.
(3) Cicero, *Pro Cœlio*, 20. — Livius, XXXIX, 9.

batur via et quanta flagitia citra culpam illis admittere licuerit.

His imbuti opinionibus, patres etiam, qui non stolide, ut Demænetus aliique id genus, vitiis filiorum gaudebant, facile ignoscebant, nisi fallor, dummodo hi parce scortarentur, dicebantque fortasse ut in Mostellaria Theuropides ait de filio :

> Me præsenti amato, bibito, facito quod lubet :
> Si hoc pudet fecisse sumptum subplici habeo satis (1).

Matres autem severiores fuisse ex operibus Plauti aliorumque non agnoscitur. Idem fere, ut opinor, ac viri de adolescentium officiis sentiebant. Deerat alioquin et probis verecundia illa quæ apud recentiores pudicitiam sequitur. Hinc fiebat, ut eas non puderet flagitiorum filiorum conscias esse, pluresque fuisse crediderim qui illis scortantibus, ut Peristrata in Mercatore, facile faverent.

Si qui vero parentes meliorem doctrinam sequi videbantur, hortabanturque liberos ne libidini indulgerent, non fere eos a corruptela deterrebant, quin ad avaritiam vel ad ambitionem vel ad utrumque impellerent. Hos sedulo expoliebant, hos docebant magno sumptu litteras, jura, leges, ut in speciem populo essent (2). Hos ante omnia volebant rem decusque comparare, nec quidquam gravius aut generoso animo dignius. Audi Philtonem in Trinumo quem honestissimum et liberali præditum ingenio Plautus finxit filio præcepta dantem :

(1) Mostellaria, v. 1137, 1138.

(2) Mostellaria, v. 119-125.

Si animus hominem perpulit, actum est, animo servibit non sibi,
Sin ipse animum perpulit, dum vivet, victor victorum *cluet*.

. . . . . .

Qui animum vincunt, quam quos animus, semper probiores *cluent* (1).

Alioque loco, ita filii amicum paterno consilio admonet :

Semper tu hoc facito, Lesbonice, cogites,
Id optimum esse, tute uti sis optimus :
Si id nequeas, saltem ut optimis sis proximus (2).

Optimos autem vocat qui divitiis aut dignitate excelsum in civitate locum obtinent.

Sic probi parentes nihil non pecuniæ postponebant et populari gratiæ (3) : quorum præceptis qui obsequebantur adolescentes ad avaritiam et nimium famæ amorem flectebantur, senes facti ante diem et plus æquo suæ utilitati intenti.

Quanta petulantia multi sese vino simul et luxuriæ dederent, quam feri essent in amando et quam sæpe malas artes ut suo indulgerent genio adhiberent, apud Plautum variis exemplis reperitur. Nam nonnulli, ut in Pœnulo videmus, lenones compilare et falsis testimoniis opprimere non dubitabant. Alios non pudebat meretricibus furtum facere, quod Astaphium in Truculento testatur his verbis :

Ad foreis auscultato atque serva has ædeis,
Ne quis adventor gravior abeat quam adveniat,
Neu quis manus adtulerit sterileis intro ad nos.

(1) Trinumus, v. 265-270.
(2) Ibid., v. 442-444.
(3) Vide Sallustium, *Catilina*, XII.

Gravidas foras exportet : gnovi ego hominum mores.
Ita nunc adulescenteis morati sunt (1).

Quales autem essent qui bene instituti et educati haberentur, quale esset eorum ingenium idem poeta nos edocet. In Trinumo scilicet adolescentem Plauto inducere placuit, verbis et re sapientem, quem imitandum juventuti proponere videtur. Ut Lesbonicum libidinosum et perditum flagitiis, sic contra Lysitelem parcum fingit, et temperantem, et rebus seriis deditum. Lysiteles Lesbonicum non solum consiliis, sed etiam opibus adjuvandum suscipit, et, quo facilius propositum assequatur, petit ut ejus sororem indotatam sibi in matrimonium ducere liceat. Hunc non modo probum, sed liberalem genero sumque facile credas, et laudes libenter. Eumdem vero si loquentem attentius audias, agnoscas hunc nimio plus consulere sibi, et quidquid bene agat ad suam utilitatem referre. Cur enim virtutem colere decreverit, his verbis ipse explicat :

. . . . . Hæc ego quom ago
Cum meo animo et recolo ubi qui eget quam preti sit parvi, apage te
Amor non places, nihil te utor, quanquam illud est dulce esse et bibere.
Amor amara dat tibi satis quod ægre sit, fugit forum, fugat tuos
Congnatos, fugat ipse se a suo contuitu.
Neque enim eum sibi amicum volunt dici. Mille modis Amor ingnorandu'st.
Procul adhibendus est atque abstinendus : nam qui in amorem
Præcipitavit, pejus perit quam si saxo saliat. Apage, sis, Amor!
Tuas res tibi habe. Amor, mihi amicus ne fuas unquam. Sunt tamen
Quos miseros maleque habeas, quos tibi obnoxios fecisti.
Certum'st ad frugem adplicare animum, quamquam ibi animo

(1) Truculentus, v. 78-82.

Labos grandis cupitur : boni sibi hæc expetunt rem, fidem, honorem,
Gloriam et gratiam, hoc probis pretium'st..... (1).

Et cum sororem Lesbonici indotatam ducere vult amicumque urget ut beneficium accipiat, hunc sui minime oblitum, nimiumque suæ famæ intentum non sine stomacho perspicimus.

In alia Plauti comœdia alius juvenis Mnesilochus semetipse ut sit gratus iisdem causis hortatur :

Pol quidem, meo animo, ingrato homine nihil impensiu'st ;
Malefactorem amitti satius quam relinqui beneficium.
Nimio præstat impendiosum te quam ingratum dicier.
Illum laudabunt boni ; hunc etiam ipsi culpabunt mali.
Quæ me causa magis cum cura esse ac obvigilato est opus.
Mene, Mnesiloche, specimen specitur, nunc certamen cernitur :
Sisne, necne, ut esse oportet ; malus, bonus? quojusmodi
Justus, injustus? malignus, largus? commodus, incommodus ?
Cave, sis, te superare servum siris faciundo bene
Utut eris, moneo, haud celabis (2).

Talis erat romana juventus, aut libidinibus aut utilitati præcipue intenta. Sic plerumque parentes filiorum aut flagitiis favebant aut nimiam pecuniæ gratiæque cupiditatem in iis accendebant. Ex quo et his quæ prius dixi intelligitur, sæpe noxiam aut inefficacem fuisse hanc paternam potestatem, qua Romani tanquam institutorum utilissimo superbiebant.

(1) Trinumus, v. 225-237.
(2) Bacchides, v. 359-369.

DE DOMINIS ET SERVIS.

In comœdiis Plauti servi primas partes obtinere solent, cum fabulæ nodum implicent et expediant; fallaciis abundant quibus impeditum quemque extricent; ingenio et solertia dominis plerumque præstant; nullum fere consilium concipitur aut peragitur, cujus non sint participes et duces. Quid postea? Resne ita pro sua libidine poeta composuit? Num tales, ut placeret spectatoribus et per jocum, servos effinxit? Iis, ut opinor, locum ordinemque in scena assignavit, quem sæpe in familia usurpabant, et morum sui temporis rationem potissimum habuit.

Quo tempore floruit Plautus, servorum numerum, qui antea pauciores erant, magnopere crevisse, certis testimoniis compertum est. Quamvis enim eorum multitudo nondum esset quanta postea fuit eversa Carthagine, jam plures captivi, crescentibus in dies Romanorum divitiis et luxu, Romam abducti erant; jam quoque plurima munera servi rure præsertimque in urbe implebant, et varietate domesticorum officiorum familiam quasi invaserant.

Argumentis confirmavit scriptor doctissimus nostræ ætatis (1), pauciores tunc fuisse servos qui agrorum operibus essent addicti. Romani quidem, ut ex Catonis testimonio constat,

(1) Dureau de La Malle, *Économ. polit.*, livre II, c. II.

operariis agriculturam committi malebant quos robustiores existimabant et magis laboris amantes, eaque opinio aliquandiu prævaluit (1). Verumtamen de villicis servis apud Plautum ita mentio est ut illius tempore iis provinciam agrorum partim esse datam, judicare possis. Quod autem pertinet ad res domesticas urbis, solà fere eas mancipia procurabant.

Urbanis enim ex servis alii domino ipsi addicti erant ut armiger (2), alii variis domesticæ rei muneribus intenti : coquus qui tunc plerumque locabatur, jamque ad furtum habebatur proclivis (3), calator qui convivas invitabat (4), cursor qui litteras ferebat vel alia exsequebatur mandata, pedisequi (5) et servuli qui ad ornamentum domus præsertim pertinebant et quibus magna dabatur loquendi licentia (6).

His præerant lorarius qui iis corrigendis erat præpositus (7), atriensis qui, cum primum atrium custodiret in quo imagines majorum servabantur et volentes dominum convenire introduceret, mox domus quasi præfectus habitus est (8), et con-

(1) Cato, *De re rustica*, procemium 2, 1, 3, et alibi passim. — Varro, *De re rustica*, XVII, 2.

(2) Casina, v. 155.

(3) Aulularia, v. 509, 510.

(4) Rudens, v. 252.

(5) Pœnulus, v. 41.

(6) Stichus, v. 324 et seq. — Apud Afranium legere est :

Male merentur de nobis eri
Qui nos tantopere indulgent in pueritia.

(V. 389, 390, *Comicorum latinorum reliquiæ*, Otto Ribbeck, Lipsiæ, MDCCCLV.)

(7) Captivi, v. 127 et seq.

(8) Asinaria, v. 366 et seq.

dus promus procurator peni, qui atriensi ipsi imperabat (1).

Mulieres quoque suos jam servos suasque servas habebant.

Apud Plautum dotalem servum animadvertas qui, cum dotem matronarum curaret et res peculiares gereret, magis in earum manu esse videbatur quam in potestate mariti, ut in Asinaria Libanus ait, ita ut eumdem receptitium servum esse dixeris, quem ex lege illæ penes semetipsas retinebant (2).

Plures iis erant crescente luxu servæ, textrices scilicet et sarcinatrices, balneariæ et cinerariæ et vestiplicæ, aliæque artibus quæ ad muliebrem mundum pertinent exercitatæ et pedisequæ, et quæ molerent, vel lignum cæderent, vel facerent pensum, vel ædes verrerent (3).

Mentio est etiam in operibus ejusdem poetæ de serva quæ vernas aleret (4).

Nec tantum rebus, quæ ad corporis cultum pertinent, servi operam dabant. Pueros etiam, ut supra dixi, custodiebant et comitabantur servi pædagogi. Ut vero intus sic foris multa in dominos conferebant officia. Cum enim Romani mercaturam, tanquam hominibus liberis indignam, magnopere contemnerent, lucrum quod inde proveniebat non dedignabantur, eamque sibi exercere non dubitabant per servos vel fullones, vel aurifices, vel lanarios, vel aliquam harum artium

(1) Pseudolus, v. 591-596.

(2) Asinaria, v. 70, 71.

(3) Menechmi, v. 708 et seq. — Mercator, v. 390 et seq.

(4) Miles gloriosus, v. 698.

colentes quæ in Aulularia uberius describuntur (1), aut eos locabant ut coquini nundinalis (2) partes aliasque agerent (3), et divinationi operam darent (4) atque etiam fierent populi prostibula.

Compositis ita rebus, servos, qui non solum utiles sed necessarii viderentur, magnam in familia auctoritatem adipisci necesse erat. Qualis vero fuerit illa auctoritas et quos fructus tulerit intelligas facile, dummodo reputes quanta miseria et abjectione obruti jacuerint.

De conditione servorum apud veteres et de iis quæ inde sequerentur egregius unus professor hujusce Facultatis tam copiose et docte scripsit, ut nihil addendum mutandumve reliquerit.

Res habebatur Romæ servus tempore Plauti, quam vendere vel etiam perdere licebat : instrumentum vocale videbatur, ut postea Varro aiebat, et aliquid medium inter hominem et bestiam. Huic neque uxorem ducere, præterquam fortasse in Apulia, ubi matrimonium mancipiorum, si Plauto credendum est, tolerabatur (5), neque familiam, neque dominium, neque patriam habere licebat. Hunc vel ad turpia compellere vel etiam occidere dominus poterat. Nec mores quod in lege erat acerbum fere mitagabant. Cum enim patrifamiliæ idem in filios liceret quod in servos,

(1) Aulularia, v. 463-477.

(2) Ibid., v 280.

(3) Asinaria, v. 424-426.

(4) Casina, v. 248.

(5) Casina, in prolog., v. 71-75.

insito in liberos amore ad lenitatem flectebatur; dominos vero non satis retinebat humanitas mancipia in ditione habentes.

Non tamen unquam ita humana conscientia obmutuit ut omnino justa et æqua servitus haberetur. Videmus contra ex comœdiis Plauti fuisse qui reprehenderent eam aliquando, et jus naturale invocarent. In Asinaria Leonidas servus minantem sibi mercatorem sic increpat : « Tam ego homo sum quam tu. « Et ille respondet : « Scilicet ita res est (1). » In Aulularia Strobilus ait : « Omnes Natura parit liberos et omnes libertati natura student (2). » Interdum etiam omnes, quacumque sint conditione, morte æquari apparebat.

Sic in Trinumo Philto ait :

Nos homunculi
Satillum animæ qui quum extemplo amisimus,
Æque mendicus atque ille opulentissimus
Censetur censu ad Acheruntem mortuus.

Et servus Stasimus ironice subjicit :

Mirum ni tu illuc tecum divitias feras (3).

Præterea non deerat Romanis, unde ad meliores sensus converterentur. Iis enim satis erat semetipsos respicere, et quibus vicibus essent obnoxii paululum attendere, ut sorte servorum moverentur. Bellum nempe servitutis præcipua causa erat et origo : hinc accidebat ut, qui dominus erat, sæpe ipse rursus mancipium fieret, aut suos videret in servi-

(1) Asinaria, v. 472.
(2) Aulularia, v. 808-809.
(3) Trinumus, v. 448-452.

tutem redactos. Nonnunquam etiam ingenui pueri parentibus subripiebantur, ut pater filium aut filiam in potestate lenonum vel aliorum hoc genus aliquando reperiret. Itaque in multis comœdiis Plautum hoc argumentum uberius tractavisse reperimus. In Captivis videlicet pater quidam, cum amissos duos filios perquireret, alterum invenit sibi inscio servientem, tum quum, miserando errore delusus, hunc mittere in metalla vel etiam necare parat. In Cistellaria pater et mater filiam, quæ fuerat exposita, meretrici obedientem nanciscuntur. In Curculione Therapontigonus puellam, quam a lenone Cappadoce concubinam emerat, agnoscit suam esse sororem, Dionysiis olim a teneris ablatam. Emit et in Epidico puellam adolescens quæ ejus soror esse comperitur. In Pœnulo narratur Hanno simul et filium fratris et duas filias suas servientes agnovisse, et eas lenoni Lupo mancipatas. Denique in Rudente fingitur pater filiam reperire, quæ subrepta quoque ad dominum lenonem venerat. Frustra autem sive in fabulis sive ante oculos ejus modi exempla Romanis proponebantur; ita erant feri et ad injuriam proclives, ut ne ad lenitatem quidem flecterentur et, quo magis jus humanum violarent, eo essent immitiores.

Varia tormentorum genera, quibus servi essent obnoxii, ut cognoscantur Plauti opera legere satis est, et quam sæve habiti sint ex ipsis nominibus, quibus per jocum appellantur, facile intelligas. Vocantur verberones, ulmorum Acheruns, furciferi, stimulorum seges, stimulorum loculi, verbereæ statuæ, etc., etc. Et enim sæpius, quanquam nullius culpæ conscii, pro libidine dominorum vapulabant. vel cædebantur

virgis, vel in puteo condebantur. Si quid gravius admiserant, vel admisisse videbantur, mittebantur in metalla, ubi luce carentes vitam duram et laboriosam agebant, aut vincti rus relegabantur; iis rumpebantur crura, caput stigmate notabat lorarius vel pice ardente urebat, vel securi obtruncabat. Nonnunquam centupondio ad pedes affixo, manibus adductis ad trabem suspendebantur, vel tollebantur in crucem, vel etiam in furnum calidum conditi torrebantur. Denique stimulis etiam torquebantur, vel laminis, vel numellis.

Sæpe male mulctati servi fugere tentabant, sed, præterquam quod fuga non erat facilis, quot suppliciis coercita sit frequenter ex Plauto audire licet. Phaniscus in Mostellaria dicit servos sese exercere ad cursuram, sed, si sint reprehensi, facere a malo peculium, quod nequeant facere de suo (1). Aliquando etiam ad aram supplices confugiebant, ut videmus in Rudente et in Mostellaria, sed ne hoc quidem tutum erat; cum enim eos inde extrahi religio vetaret, dominus igne jubebat circumdari aut fame obsidebat. Nec solum suorum delictorum pœnas asperrimas luebant; namque, si dominus reus fieret, hos tormentis dedere, vel in re civili, ut verum aperiretur, Romani solebant (2).

Tristior vero erat propter abjectionem, quam propter miseriam ipsam, servorum conditio. Quippe quos non solum occidere, sed corrumpere et ad turpia compellere, æquum videretur. Romani pudicitiam aut virtutem quamlibet ad servos nihil pertinere existimabant, nec nisi ingenuorum esse. Hinc

(1) Mostellaria, v. 1068-1088.

(2) Ibid , v. 1061-1062.

non dubitabant mancipia utriusque sexus ad stuprum vendere vel locare : nec tantum lenones hanc pessimam artem exercebant, sed honesti viri et honestæ matronæ, interposito procuratore, quæstum ex corpore puellarum vel puerorum quærebant.

Nonnulli insuper domini servos ad fraudem, ut in Epidico videmus, incitabant (1), et quod ipsi fortasse non admisissent hos jubebant admittere.

Cum autem sui eos domini ita despicerent et male haberent, cumque iis denegarent omnia jura humana, poteratne fieri ut honestos sensus illi retinerent? quid mirum, si contempti digni contemptu evadebant, et in omnia flagitia ruebant?

Fere omnes, quos in scenam induxit Plautus, improbos esse animadvertas et ad omnia facinora paratos. Quin etiam eos finxit impudentes, et qui malefactis tanquam victoriis superbirent (2).

Pauciores quidem in ejus fabulis servos aspicias qui probi et in dominos fidi videntur, sed, si rem attentius consideres, eorum honestatem non esse integram, et fidelitatem propriæ utilitati subjectam esse agnoscas. Nam Strobilo in Aulularia præcipue recte agendi hæc est causa, ut censione bubula abstineat, nec sua opera redigat unquam in splendorem compedes (3). In Menechmis Messenio se, quia verbera odit, heri

(1) Epidicus, v. 131-136.

(2) Asinaria, v. 526-556.

(3) Aulularia, v. 543-558.

imperium bene exsequi profitetur (1). Phaniscus in Mostellaria eadem prudentia censet oportere servos, etiam cum culpa careant, malum tamen metuere et plagas ante omnia formidare (2). Ipse Stasimus, qui in Trinumo dissolutam domini liberalitatem vituperat, fructum ex ea percipit, cumque precatur ne fundo qui superest sese spoliet, illique tanto studio consulere videtur, quid aliud timet quam ne ipse miserrimus patiatur, cum hero exsulare et clypeum, galeam sarcinamque ferre coactus (3)? Cæterum quemadmodum quidam sic sapiebant, ut libertatem per bonas artes propositum haberent assequi; ita multo plures ut Libanus, Chrysalus, Olympio, Epidicus, Tranio, Toxilus, aliique pessimi, eam per fraudem quærebant, vel etiam omissa omni ratione et quasi instinctu nefaria volvebant atque exsequebantur. Improbi, gulosi, mendaces, fures, nullius non doli artifices, plerique non solum ad nutum domini quemlibet fallebant, sed, ut ait Libanus in Asinaria, ad heri fraudationem calidum ingenium gerebant (4), eo nequiores quod nihil metuebant.

Iis enim nequidquam domini tormenta aut mortem intentabant. Quo magis injuriis et plagis assuescebant, eo minus movebantur minis. Miseria durati supplicia ridebant. Dominis minitantibus respondebant, ut Sagaristio in Persa :

(1) Menechmi, v. 870-889.

(2) Mostellaria, v. 875-903.

(3) Trinumus, v. 553, 675-676.

(4) Asinaria, v. 241.

Quid faciet mihi?
Verberis cædi jusserit, compedes imponet : vapulet
Ne sibi me credat subplicem fore : Væ illi! mihi jam nihil novi
Obferri potest, quin sim peritus (1).

Vel etiam ut Sceledrus in Milite glorioso :

Noli minitari, scio crucem futurum mihi sepolchrum,
Ibi mei majores sunt siti, pater, avos, proavos, abavos (2).

Adeo non proficiebat sævitia ad coercendos servos ut contra eos nequiores faceret; hinc in Pseudolo Ballio ait :

Neque ego homines magis asinos unquam vidi, ita plagis costæ callent,
Quos dum ferias, tibi plus noceas : eo enim ingenio hi sunt flagitribæ :
Qui hæc habent consilia, ubi data obcasio 'st, rape, clepe, tene, harpaga,
Bibe, es, fuge, hoc est eorum opus (3).

Corrupti vero ita servi et miseria exasperati civitati periculo non esse non poterant. Ex historia comperimus jam secundo ante Jesum Christum seculo conjurationum eos fuisse participes, et posthac terribilia erupisse bella servilia. Inde autem majus malum et magis ineluctabile familiæ oriebatur. Namque corrumpebat sua dominos duritia et quidlibet pro libidine audendi concessa facultas ; præterea corrumpebat depravatorum servorum commercium, eo magis quo frequentius et arctius cum iis vivebant.

(1) Persa, v. 265-268.
(2) Miles gloriosus, v. 374-375.
(3) Pseudolus, v. 133-136.

Illud enim peculiare et mirum apud Romanos animadvertimus quod servi, cum essent magis quam apud quamlibet aliam gentem alienæ libidini obnoxii, nec fere annumerarentur hominibus, multo magis familiariter dominis usi et cum iis liberius locuti esse videntur quam famuli recentioris ævi, qui tamen libera sunt conditione.

In comœdiis Plauti sæpius dominos servi tanquam pares vel etiam inferiores habent; illos versis vicibus heris imperare dicas, qui contra facile parent. Nec solum die Eleutheriarum quasi liberos se jactant, nec solum pauci Atrienses, ut Libanus vel Toxilus, quam longa consuetudine paraverint, auctoritate sic utuntur; sed multi alii in quotidiano vitæ usu mirum in modum exsultant. Unde hæc tanta arrogantia miseræ conditioni ita repugnans? Hoccine nonnisi jocum esse poetæ putare decet? Minime, id non solum verum, sed ex natura secutum esse arbitror. Servi enim illi tam abjecti sæpe ingenio dominis se præstare intelligebant, quorum imperium natura minus nitebatur quam lege, quæ vim jure confirmabat. Domini rursus auctoritatem subjectorum vel inviti subibant, quos agnoscebant solertiores. Alia insuper et quidem potentior erat causa cur in illa hominum conjunctione ordinum descriptio non semper servaretur. Adolescentes illi quorum furorem depinxit Plautus, senes illi quorum in scenam seros amores protulit, servis ut flagitiorum ministris parcere debebant. Quin eo adducebantur ut iis, cum necessarii viderentur, blandirentur et quasi servirent.

Itaque audi quanto contemptu in fabulis Plauti servi de dominis absentibus loquantur, vel etiam quam acerbe præ-

sentes increpent (1)? Crescit vero eorum protervitas, quoties amoribus dominorum favent. Vide ut hos aperte stultos appellent, et quasi pueros objurgent, et gratulantes fastidiose accipiant et desperantes rideant.

In Asinaria Libanus domino roganti : « Si quid te volam, ubi eris ? » Ferociter respondet :

> Ubicumque lubitum fuerit animo meo,
> Profecto nemo est quem jam dehinc metuam, mihi
> Ne quid nocere possit, quom mihi tua
> Oratione omnem animum ostendisti tuum.
> Quin te quoque ipsum facio haud magni, si hoc patro (2).

Durius etiam in Casina Olympio Stalinoni « Tuos sum equidem » dicenti, respondet :

> Quid mihi servo opu' st tam nequam (3)?

Quid plura ? in Asinaria Plautus duos servos vivide effinxit dominum omni modo ludentes, in quem amantem officia contulerunt. Scena hæc legenda est in qua Leonida et Libanus, antequam Argyrippo pecuniam tradant, ejus amicam coram ipso osculari gestiunt, atque etiam ab illo quasi equo se vehi postulant. Quam scenam si festivam nimis et parum verisimilem judices, non tamen tanquam omnino falsam rejicias et merito credas famulis dominos servire solitos esse et duro servitio qui eos, omisso omni pudore, flagitiorum ministros sibi assumebant.

Sic visceribus familiæ romanæ arctius hærebat hæc ser-

(1) Miles gloriosus, v. 237. — Bacchides, v. 767-772.

(2) Asinaria, v. 94-99.

(3) Casina, v. 591.

vorum turba, corrupta simul et infensa, quæ magis ac magis in dies numero crescebat, sed non sola eam suo quasi inficiebat veneno. Servis accedebat pessimum hoc genus libertorum et peregrinorum aliorumque, unde constabat Romanorum clientela (1).

Non enim etiam manumissi ex potestate domini plane egrediebantur. Retinebat in eos dominus jus patrocinii et, quamvis ipso manumissionis facto cives fierent, et apti ad familiam adipiscendam, cum patrono frequens et necessarium commercium habebant, ut plurima præstarent vel acciperent officia. Præterea peregrini, cum Romæ fere hostes haberentur, neque aut lege satis protegerentur aut magistratuum æquitate, omnibus injuriis erant obnoxii. In nonnullis Plauti comœdiis, in Bacchidibus scilicet vel in Cistellaria, videmus quam precaria fuerit eorum conditio, et quam sæpe eo addicti sint, ut vel libertatem amitterent. Itaque ad cives potentes confugiebant ut sub eorum tutela tutam vitam agerent. Denique Plebeios quosdam ex infimo ordine et serviles sensus in libera conditione gerentes, in clientela quam plurimos Romani habere gestiebant, boni an mali essent, ut in Menechmis legimus, haud curantes.

Liberti autem, omnibus vitiis a tenera ætate assueti, non mutare ingenium et consuetudinem solebant; ferebantur contra ad deteriora, nec proderat iis libertas, nisi ut liberius quidquid malum esset agerent. Hinc in Persa leno Dordalus, manumissa Lemnisele, ironice ait :

(1) Pœnulus, v. 500-575, 710-740.

Sumne probus, sum lepidus civis qui Atticam hodie civitatem
Maxumam majorem feci, atque auxi civi femina (1).

Haud secus peregrini, cum nulla fides neque ullus honos nisi civitate donatis concederentur, et Plebeii illi de quibus dixi, alii contemptu publico, alii inopia ad turpia incitabantur, nec fere nisi pessimas artes exercebant. Itaque ex ordine libertorum vel peregrinorum vel illorum Plebeiorum plerumque exoriebantur lenones et lenæ et meretrices quorum tantum numerum apud Plautum invenimus; ex eodem fonte manabant hi feneratores qui pecuniam mutuam dabant adolescentulis, et hi quadruplatores, qui jam tempore Plauti falsa testimonia dicere et innocentes pacta mercede opprimere cœperunt. Deterrimas has considera personas, quæ non solum a Græcis sed a Romanis quoque tanquam peculiares jam vindicari poterant, Lycum scilicet et Cappadocem, et Dordalum et Ballionem et Labracem, vel lenas Cleeretam et Gymnasii matrem, vel parasitos (2) Ergasilum, Curculionem aliosque pessimos. Illi homines, illæ mulierculæ, qui medium inter ingenuos servosque ordinem constituebant, in familiam Romanam sere insinuabant; eos gestiebant in clientela habere, iis familiariter non solum viri sed honestæ matronæ utebantur.

Rebus ita comparatis, quomodo familia romana istorum commercio non esset celeriter fœdata, penitusque corrupta? Domini nempe plures habebant sub manu, qui suis libidinibus

(1) Persa, v. 569-570.

(2) Pariter Afranius de parasitis mentionem facit in Vopisco, v. 367-369 (*Comicorum latinorum reliquiæ*, Otto Ribbeck, Lipsiæ, MDCCCLV).

faverent. Præterea servorum libertorumque et aliorum hoc genus intererat ut omnia perverterentur, quo magis fierent necessarii, majoremque auctoritatem compararent. Ergo nihil non ad illud pertinebat, ut sese invicem domini servique corrumperent, eodemque malo tota domus laboraret.

CONCLUSIO.

Ex his quæ exposui sequitur familiam romanam, qua civitas constare jure videbatur, magis quam vulgo creditur, jam Plauti temporibus ægram fuisse et corruptam. Hinc autem aliud concludam, pravis scilicet et male tutis fundamentis eam inniti.

Puros quidam fuisse primo reipublicæ ævo mores integrosque permansisse, quandiu cives paupertatem retinuerint, non negaverim. Imo fateor Romanos initio clarissima omnium virtutum edidisse exempla : in quo nihil est quod mireris. Ubicumque enim summa rerum penes paucos est, hic præsertim nonnullos interdum ingenio et virtute singulari eminere videas. Magnifice de se sentiebant optimates illi, qui apud Romanos partem magnam quisque in republica administranda habebant; itaque vitæ genus facilius accommodabant dignitati. Vel in regenda familia magistratum non exue bant. Nec minor erat mulierum illarum gravitas quæ, nuptæ per confarreationem et pulchro matrumfamilias nomine decoratæ, virorum illustrium erant consortes. Liberi ipsi, nobili

sanguine orti, cum futuram conditionem reputarent, ut a verecundia deflecterent minus inclinabant. Fabricium, Cincinnatum aliosque excellentes patresfamilias fuisse facile existimaverim. Scio quanta severitate pater Africani, cum olim filium scortantem deprehendisset, e domo meretricis trepidantem et fere nudum expulerit. Nimis celebratas non suspicor aut Veturiam, aut postea Corneliam Gracchorum matrem. Nihil de laude detrahere velim Torquati illius qui, quanquam a patre Manlio asperrime tractatus, Pomponium tribunum plebis, a quo ille vocatus erat in jus, adiit, mortem ei minatus, nisi accusatione desisteret. Sed neque hac brevis temporis morum integritate, quæ ex inopia Romanorum oriebatur, neque his insignibus virtutum exemplis quæ unus præcipue civium ordo, et rarius, ut opinor, edidit, probatur bona fuisse utiliaque instituta quibus familia romana regebatur : hæc contra, ut æquo repugnantia, sic moribus noxia, si attentius intueare, facile perspicias.

Mariti enim, quamvis omnes non virilem auctoritatem retinerent, uxorum domini magis quam amici esse solebant. Inter conjuges deerant plerumque et caritas et mutua fiducia. Rebus ita comparatis sua maritos ad id libido ferebat, ut uxores tanquam molestas desererent, meretrices contra appeterent. Mulieres autem nulla nisi maritorum potestate fere continebantur. Aberat religionis vinculum, aberat etiam hæc animi generositas quæ ex libertate nascitur. Imminuta virorum potestate, quod quidem non poterat non fieri ocius seriusve, nihil supererat quod eas a malo deterreret. Hinc illa vitæ licentia cui jam tempore Plauti viri indulgebant;

hinc quoque ista flagitia in quæ mulieres constat non multo post sese ingurgitavisse.

Ipsa paterna potestas, quam sibi ita Romani gratulabantur, latius proferebatur quam ut utilis esset. Illa enim ficta magis quam vera veneratione a liberis colebatur; eorum affligebat animum, et caritatem in parentes imminuebat; patres autem eo sæpe adducebat ut duriores essent, nisi propter vitia essent remissiores. Minus igitur proderat ad mores emendandos.

Denique servitium, deterrima pestis veterum ac pernicies, visceribus familiæ romanæ tanquam inhærens, eam causis quas supra dixi jam laborantem conficiebat.

Non enim impune mutantur leges quas natura tulit, atque ut civitati sic familiæ nocent quæcumque, paucorum non omnium in utilitatem instituta, neque æquitate neque humanitate nituntur.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, non. februar., ann. MDCCCLIX,

Facultatis litterarum in Academia parisiensi decanus,

J.-VICT. LE CLERC.

Typis mandetur.

Parisiensis Academiæ rector,

ARTAUD.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
871P5.YDU C001
QUALIS FUERIT FAMILIA ROMANA TEMPORE PLA
3 0112 023694406